

turalis ex Adamo, supposito eius peccato: positus autem his duobus elementis realibus, altero intrinseco, origine naturali ab Adamo, altero extrinseco, peccato eius, iam persona ab eo nascentis debet habere peccatum; ideoque nulla forma realis requiritur in subiecto ad constituendum ipsum debitorem, sed quod ipsi inesse ad modum formae concipitur, ideoque quaedam denominatio moralis. 2) Debitum huiusmodi in primo instanti existentiae esse debet; adest enim ratione originis. 3) Concedimus ipsum realiter esse non posse simul cum gratia; nam quamvis gratia non opponatur directe ei, sed peccato: tamen gratia delens peccatum, tollit formaliter et debitum peccati; debitum enim remissione aboletur. Et quamvis non omnis forma efficiens a subiecto oppositam sibi, tollat etiam debitum eius, ut contingit in forma violentem inducta, neque tollat capacitatem illius: tamen gratia, cum sit remissio peccati, tollit quoque debitum eius, imo tollit quoque capacitatem peccati originalis; si enim istud non habetur in primo instanti conceptionis, nunquam amplius haberi potest, quia consertum est necessario cum ipsa origine. 4) Sententia asserens b. Virginem habuisse debitum contrahendi peccati, hoc reddit: si b. Virgo in primo instanti existentiae suae fuisset sibi permissa secundum legem communem, nec ei applicata fuissent merita *Redemptoris*, et ex his meritis infusa gratia, ipsa vi suae naturalis originis habuisset peccatum: si in b. Virgine solum speetetur naturalis origo, affirmandum de ea est: debet habere peccatum.

Quocirca, ut quaestionem solvamus, advertimus quod b. Virgo in primo suo instanti dupliciter considerari potest, a) ut est actu, in concreto, cum iis omnibus nempe quae habet: b) praecisione quadam mentis fundamentum habente in re. His positis dicimus quod spectata Maria in primo instanti suae existentiae, et praecisione mentis considerata solum natura seu naturali origine, potuit de ea affirmari: *debet habere peccatum*: id enim cum natura consertum est. Spectata vero Maria ut fuit actu et in concreto, nunquam potuit de ipsa vere affirmari: *debet habere peccatum*, quia habuit semper gratiam, quae debitum excludit. Potuit autem de ipsa hoc modo spectata affirmari, *debuisset habere peccatum*. Itaque cum loquimur de debito Virginis non loquimur de debito quod in ipsa actu et formaliter fuerit, sed quod fuerit actu radicaliter; quod de ipsa praedicari potest spectata tantum natura per praecisionem mentis, sed cum fundamento in re; et quod actu *formaliter* fuisset, si non fuisset gratia remissum. Quare cum dicitur debitum fuisse prius remissione et gratia *prioritate non temporis sed naturae*, intelligendum id est de debito *radicaliter* existente, non *formaliter*: istud enim si fuit non potuit tantum esse prius prioritate naturae: nam ea, quorum alterum est

altero prius tantum prioritate naturae, possunt actu esse simul, et sunt simul: at iam diximus debitum et gratiam non posse esse simul.

IV. Ex disputatis porro facile liquet quod tertio loco proponimus, nempe nullum dedecus accedere Virgini, asserto huiusmodi debito. Nam nullum peccatum in ea ponitur, nec debitum peccati formaliter; solumque est reliqua in ipsa Virgine radix huius debiti, nempe quod filia sit Adami peccatoris. Verum in hoc tantum nulla est turpitudine moralis: et e contrario excellentior evadit in ratione doni gratia originalis collata Virgini, quae specialissimo modo redempta fuit. Dices, asserto debito, dicendum est b. Virginem peccasse in Adamo, quod indecorum ipsi est. Respondeo 1) tenendam esse explicationem huius effati traditam ab Anselmo (de Conc. virg. c. 7.): «In Adamo omnes peccavimus quando ille peccavit, non quia tunc peccavimus ipsi, qui nondum eramus, sed quia de illo futuri eramus, et tunc facta est necessitas, ut cum essemus peccaremus,» nos nempe qui de illo futuri eramus, iam vero 2) necessitas haec est ex sua natura *conditionalis*, si nimirum Deus per gratiam praeservantem nolit eam quoad aliquem vel etiam quoad omnes impedire: si enim impedit, tunc radicaliter quidem adest necessitas pro illo in quo impeditur, non vero formaliter. Atque ita ille dici quidem potest peccasse in Adamo radicaliter, sive hypothetice, ratione scilicet habita tantum suae naturalis originis, et supposito quod Deus illum relinquat sub lege communi, non vero formaliter et absolute, quia extractus actu fuit per praecoccupantem gratiam ab hac necessitate. Id vero locum habuit in beatissima Virgine Deipara.

### Thesis XC.

*Collatum quoque fuit b. Virgini donum perpetuae immunitatis a quovis levissimo motu concupiscentiae; atque probabilissimum est nedum ab incarnatione Verbi, sed ab ipsa sui conceptione fomitem ipsum fuisse ab ea sublatum, sive auctam eam fuisse ab origine dono integritatis originalis.*

I. Loquimur de concupiscentia quae inordinata est virium inferiorum, opponiturque integritati naturae. Iam vero 1) constat eam, more loquendi Scripturis et Patribus usitato, appellari peccatum. Constat 2) eam cum actu exeritur, esse reapse turpitudinem quandam, quae etsi per se solum physica sit, minus tamen deceat ens rationale, cui turpe est existere motus animi in id quod est moraliter inhonestum, quibus animus allicitur ad inhonestam. Constat 3) carnem ipsam hominis, quae instrumentum est facultatis sensitiuae, huius-

modi motibus, qui in ea et per eam excitantur, labem quamdam contrahere; quatenus certe ab omnibus, sensu saltem christiano, prior concipitur ea caro quae immunis ab iis sit, ut caro Christi. Constat 4) concupiscentiae ipsos actus indeliberatos impedire, iuxta Augustini doctrinam in controversia pelagiana, perfectionem iustitiae. « Tunc perfitur bonum, quando desideria mala nulla sunt, sicut tunc perfitur malum, quando malis desideris obeditur. Quando autem sunt quidem, sed non eis obeditur, nec malum perfitur, quia non eis obeditur, nec bonum, quia sunt » (De Nupt. et conc. L. 1, c. 29.). « Perfecta iustitia tanquam sanitas plena... tunc erit plena iustitia, quando plena sanitas; tunc plena sanitas, quando plena charitas » (De Perfect. iust. c. 3.). Porro « cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiae, quod vel continendo frenetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus: non enim caro sine anima concupiscit » (Ibid. c. 8.). « Tunc scilicet perfecti sumus in charitate, quando nihil restat ex infirmitate » (Epist. CLXVII, al. 29, c. 5.). « Facere est ergo iustitiam, in vero Dei cultu, cum interno concupiscentiae malo interna conflictatione pugnare: perficere autem omnino adversarium non habere » (De nat. et grat. c. 62.). Quare « perfectio boni est, ut nec ipsa concupiscentia sit in homine » (Retract. L. 1, c. 43.). Cum Augustino consentit Thomas qui 3. p. q. XV, a. 2. docet quod « perfectio virtutis, quae est secundum rationem rectam, non excludit passibilitatem corporis, excludit autem fomitem peccati, cuius ratio consistit in resistentia sensualis appetitus ad rationem. »

Constat 5) utriusque Doctoris auctoritate, concupiscentiam, ne dum fontem esse plurium peccatorum, sed praetera esse unicam vel potissimum causam cur iustus impossibile sit vitare omnia peccata venialia. Sane Augustinus quaestione proposita in L. II. De Peccat. mer. et remis. c. 17. cur nemo in hac vita sit sine peccato, respondet « quia homines nolunt... nolunt (autem) homines facere quod iustum est, sive quia latet quod iustum sit, sive quia non delectat... Ignorantia ergo et infirmitas (concupiscentia) vitia sunt, quae impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. » Et cont. Julian. L. V. c. XV, n. 57. advertit vere dictum esse a Iuliano quod Petrus (1. Pet. II, 22) ostenderit Christum nullum habuisse peccatum, cum de eo dixit: qui peccatum non fecit. « Omnino verissimum est. Profecto enim peccatum etiam (saltem situm in motibus inordinatis praeventibus liberum arbitrium, quos peccata vocat Augustinus) maior fecisset, si parvulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum praeter ipsum qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non habuerit

infantis aetatis exortu. » In peccato autem originali concupiscentiam quoque spectabat Augustinus. Thomas autem 1. 2. q. CIX, a. 8. docet quod iustus potest abstinere ab omni peccato mortali... non autem ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis. »

II. His praesentibus advertendum est quod immunitas a concupiscentia duplici modo iuxta Scholasticos veteres haberi potest. Prior modus imperfectior est, ut *fomes sit ligatus*, nimirum speciali Dei providentia et assistentia impediatur semper quilibet motus inordinatus, tamen manente in subiecto potestate. Alter est perfectior, ut *fomes ipso sit sublatus*, nempe gratia sanctificationis ponat in subiecto *eam habitualet et immobilem dispositionem*, vi cuius nunquam inferiores vires moveantur sine arbitrio rationis, sicut fuit in Adam ante peccatum per originale iustitiam; et sic gratia sanctificationis habeat vim originalis iustitiae. Cf. Thomam 3. p. q. XXVII, a. 3.

Duplex proinde quaestio fieri potest: prior minus distincta, utrum b. Virgo fuerit semper immunis ab indeliberatis motibus concupiscentiae sive per ligationem sive per ablationem fomitis; ideoque immunis fuerit propter aliquam Dei legem constantem a quovis motu inordinato; altera distinctior: utrum ipso fomite Virgo caruerit; et haec quaestio rursus duplex est, nempe an sublatus sit fomes ab initio suae conceptionis, cum primum sanctificata est Virgo, an tantum a conceptione Verbi. Aetate s. Thomae erant qui docerent fuisse ab initio fomitem sublatum, et alii qui dicerent ab initio ligationem, et in conceptione Verbi sublatum. Hos sequitur s. Thomas. Patet quaestioni prioris solutionem et necessariam magis esse, atque etiam faciliorem: ab ea ergo exordimur; qua expedita, quid in alia quoque quaestione dicendum sit non aegre colligemus.

III. Iam vero sententia universae Traditionis hac in re colligi debet ex superius recitatis testimoniis. Etenim ea puritas Virginis exhibetur, ut sit totalis, ab omni labe, supra quam dici potest; sit maior puritate Angelorum, et cuiusque creaturae, ideoque et puritate protoparentum; neque ea maior puritas sub Deo possit intelligi. Item Maria sinitur plena gratia ita ut nullum donum gratiae concessum alteri sit ipsi negatum, donum vero integritatis concessum est protoparentibus; Maria dicitur ratione sanctitatis et puritatis creatura nova, nova quoad omnia; conditum caelum novum, terra non maledicta, spinae nescia, nil habens quod laedit, opponiturque ex adverso Evae quae a serpente victa et vitata est. Atqui haec omnia non essent simpliciter vera, si inordinatis concupiscentiae motibus fuisset unquam b. Virgo obnoxia. Rursus ex iisdem testimoniis li-

quet sanctitatem b. Virginis perfectissimam fuisse, obtinuisse scilicet perfectionem iustitiae: secus enim quomodo sanctorum purissimis mentibus fuisse? atqui perfectio iustitiae concupiscentiam excludit. Praeterea b. Virgo eam, teste universa Traditione, sanctitatem et puritatem obtinuit, ut esset dignissima Dei Mater, atqui turpitudine sensualitatis non decet Dei Matrem, neque decet illud templum, in quo novem menses corporaliter habitavit Sanctus sanctorum. Item b. Virgo creditur nullam unquam labem peccati venialis admisisse; quomodo autem privilegium huiusmodi perpetuum censendum est ipsi fuisse collatum? sanior certe modus in eo est ut praeter opportuna auxilia, gratiaeque sanctificantis abundantiam, omnis concupiscentiae motus restringeretur.

Huc quoque spectat appellatio frequentissima, et antonomastice usurpata *Virgo, purissima Virgo, Virgo virginum, immaculata Virginitas*, quae Deiparae fieri consuevit. Manifestum est enim significari ea *virginitatem completam*, corpore nempe et spiritu (1. Cor. VII. 34. cf. Hieronym. epist. XXII. ad Eustoch. n. 38, et adv. Helvidium n. 20); *perfectissimumque gradum Virginitatis*, ut sit nimirum « Virgo innocens, sine macula, omni culpa vacans, incontaminata, impolluta, sancta anima et corpore, sicut lilium inter medias spinas germinans » ut ait Theodotus ancyranus (orat. in Christi nativ. §. II. Gallandi T. IX. p. 478), eoque gradum virginitatis, *qui veluti divinitatis virginitatem referat*. Nam « ideo secunda natiuitas (Verbi) per immaculatam Mariam, quia prior per divinitatem constiterat illibata; ut cui prior natiuitas gloriosa existit, eius secunda contumeliosa non ferret; h. e. ut quemadmodum Virgo illum divinitas ediderat, ita eum et Virgo Maria generaret » (Serm. II. De Nativ. Dom. IV. inter opera Ambrosii T. II.). Hinc dicitur Mariae corpus virginaliter fuisse *totum sanctum, totum purum, totum Dei domicilium, ac secretum ἀνοσιτορευον inhabitable a passionum comminatione* (Andreas Cretensis Orat. in Deip. dormit. Combef. Auct. T. I. Georgius Nicomed. in Deip. praesent. ibid.): diciturque rursus b. Maria fuisse virgo anima non secus ac corpore (Damascenus Orat. 1. in Deip. dormit. §. 7. Germanus Constant. Orat. in Deip. Dorm. Combef. Auct. T. I. p. 1451.). Quare « Sanctissima Virginis anima et caro dicitur plusquam caelestes virtutes fuisse purificata; eiusque mens fuisse prorsus omni culpa vacua, et corpus illi fuisse consentaneum, ut vel ipsas Deo pretiosissimas creaturas superaverit, idque longissimo intervallo » (Petrus Siculus adv. Manichaeos Serm. II. n. 9. Mign. P. G. T. ClV. p. 1342. Emmanuel II Palaologus orat. in Deip. Dormit. Migne P. G. T. ClVI. p. 95.). Cuius tantae puritatis ratio fuit ut ex ea fieret corpus immaculatum Chri-

sti, ut immaculatus de immaculata procederet, vereque esset Christus *stos Virginis, stos virginalis uteri* (Sermo CXCVIII inter augustinianas editas a Mai in nov. Patrum bibl. T. I. Hymnus latinus apud Mone, T. I. p. 270. Sacrament. Gallic. in missa de S. Cruce).

Iam vero virginitas physice est integritas carnis: virginitas laudabilis, ad ordinem nempe moralem spectans, est integritas mentis simul et carnis, Virginitas perfecta est integritas mentis et carnis ab omni labe seu macula culpabili. Virginitas autem carnis absolutissima, qua perfectior esse nequeat, est integritas carnis ab omni labe etiam indeliberata vel minima, ab omni vel levissima indecenti commotione et suggestione, et virginitas absolutissima mentis est integritas ab omni vel minima aut levissima cogitatione, inclinatione indeliberata: atque haec postulat ut ea virginitas carnis sit; quamcumque enim huiusmodi cogitationem aut inclinationem quidam motus carnis comitatur. Atqui ut ex dictis liquet, haec est idea virginitatis Deiparae, ut absolutissima fuerit secundum corpus et animam, pulchrior angelica puritate, divinaeque virginitati, quam fieri potest, proxima; atque hanc ideam exhibet appellatio antonomastica *Virginis, et intemeratae seu immaculatae Virginitatis* facta Deiparae: ergo.

Tandem testes huius immunitatis Deiparae a quavis actuali concupiscentiae labe, sunt certe tum Augustinus, ut liquet ex eius doctrina superius exposita, tum ii Patres et Scriptores qui Augustini doctrinam contra haeresim pelagianam secuti sunt: tum Andreas Cretensis (in Deip. annunt. Gallandi T. XII, p. 106) qui Deiparam vocat *passionum eremum*; tum Ioannes Geometra (apud Mai Scripp. veter. T. IX, in Sylloge enarr. in Lucam, p. 639) qui affirmat *caruisse eam carnis voluntate, idque esse ei privum et singulare*: tum Paulus Diaconus (Serm. in Deip. assumpt. Martene S. V. T. IX p. 262) qui docet *vitiositatis nodis funditus eam caruisse*: tum sec. XII Nicolaus monachus S. Albani, (in epistola ad Petrum Cellensem Mign. T. CCII epist. inter epistolas Petri Cellensi 172.) qui vix manus tenere se posse fatetur audiens Virginem sensisse peccatum, et sentiendo debellasse: atque Petrus Cellensis qui eidem consentiens (l. c. epist. 171.) « concedere se dicit et credere quod saeva libidinis incentiva, Deo praeoperante nunquam senserit vel ad modicum. » Tandem habet consensum totius scholae, quae in hac re a s. Thoma non discedit.

IV. Prior ergo quaestio satis superque soluta est. Ad alteram quod spectat quaestionem; advertendum est 1) immunitatem Virginis a quavis vel minima concupiscentia actuali, qualem exhibent nobis Patres, esse antecedenti Dei voluntate statutam, quia nexa ne-

cessario cum dignitate Maternitatis divinae; ideoque 2) probabile certo esse quod Deus ipsum fomitem abstulerit ne ii motus indecentes existerent. 3) Concedere Theologorum Scholam cum s. Thoma quod saltem ab incarnatione Verbi fomes ipse penitus desierit: quaestionem proinde huc 4) redire, an in ipsa quoque conceptione Virginis fuerit fomes sublatus, an tantum ligatus. Quidam enim hoc allerunt cum s. Thoma asserunt: atque, ut id obiter moneamus, inter hos recensendi sunt et ii quorum testimonia dedimus superius, praesertim Th. LXXXVI, qui docent Virginem ipsam fuisse in conceptione Verbi purgatam a concupiscentia, h. e. liberatam prorsus a fomite ipso. Verum si perpendas rationem s. Thomae (quam conferre potes) non necessario concludere, neque ipsum sententiam suam tanquam certam vindicare; defuisse in Virgine ab origine radicem fomitis h. e. peccatum originale, doctrinam vero esse Patrum Mariae negata non esse ea dona gratiae quae aliis sunt data, inter haec autem esse integritatem originale datam protoparentibus, hoc rursus donum maxime decere Dei Matrem, aptissimeque congruere cum ea, quae ratione sanctitatis et puritatis protoparentibus opponitur, eisque praefertur, perfecteque cohaerere cum illa idea puritatis Virginis, quam exprimit universa Traditio; facile dabis fomitem exclusionem, seu integritatis donum fuisse in Virgine consertum cum gratia originali.

Ne qua maneant difficultates, advertite doctrinam s. Thomae l. c. ad 2. « quod infirmitas carnis ad fomitem pertinens est quidem in sanctis viris perfectae virtutis occasio, non tamen causa sine qua perfectio haberi non possit. Sufficit autem in b. Virgine ponere perfectam virtutem ex abundantia gratiae: nec oportet ponere in ea omnem occasionem perfectionis », quemadmodum nec in Christo. Non negamus proinde quod imo verissime dictum esse arbitramur a Petro Cellensi epist. 173. « Mariam obtinuisse victorias non dormiendo, sed vigilando; non otando, sed pugnando; non fugiendo, sed resistendo; non cadendo, sed caedendo. An mater filio felicior? Sed ductus est Iesus in desertum, ut tentaretur a diabolo: sed dicit illum Apostolus tentatum per omnia pro similitudine absque peccato (advertite his verbis non excludi solum peccatum formale, sed id quoque quod Paulus peccatum vocat, h. e. concupiscentiam, qua caruit Christus et a qua proinde tentari non potuit). Qui tentatur nonne sentit tentationem? » Quare idem in eadem epistola sic explicat quod dixerat *Mariam sensitisse peccatum*: « sensit non ad laesionem, sed ad probationem; sensit non succumbendo, sed superando; sensit extrinsecus, non intrinsecus; sensit hoste suggestionem iaciente, non carne delectando, vel spiritu consentiendo; sensit propulsando, non excipiendo vel admittendo. »

Scholion I. Mentionem identidem fecimus integerrimae immunitatis b. Virginis a quavis culpa actuali. Eius quidem demonstratio non spectat ad hunc Tractatum: si tamen demonstranda esset, nihil efficacius afferri posset iis quae dedimus in Th. LXXXV. arg. 1 et 2, et Th. LXXXVIII. in fine quoad interpretationem plenitudinis gratiae, atque in Thesi hac postrema quoad conceptum Patrum de Virginitate Mariae; tum disertissimam Augustini Doctrinam et Thomae superius recitalem in 2. arg. Th. LXXXV. atque basilien-sium Patrum decretum allatum in fine Th. LXXXVI, canonemque Tridentinum 23. Sess. VI. Id tantum volumus modo observari. Privilegium hoc est exceptio ab ea communi miseria, quae in Scripturis non secus ac peccatum originale, universalibus terminis repraesentatur (cf. Rom. III, 9-21); praeterea existere quidam inter veteres, qui censuerunt aliqua habere venialis culpae sanctissimam Deiparam adpersam fuisse (Tertullianus De Carne Christi c. 7. Origenes in Lucae hom. 17. Chrysost. in c. XII Matth. hom. 44. al. 43; et in c. II. Ioann. hom. 21. al. 20; quem sequuntur Theophylactus in c. XII Matth. et Euthymius Zigabenus in c. II. Ioannis.) Id tamen non impedit quominus revelata crederetur doctrina opposita, et ab iis quoque teneretur qui immaculatam conceptionem negabant. Iam vero nequeunt certe tam aperta testimonia produci ex Patribus contra immaculatam Deiparae conceptum, qualia adduci possunt contra immunitatem a quavis culpa actuali. Quid igitur? 1) si comparisonem insituere licet, evidentior fuit olim immunitas Virginis a culpa originali, quam a quavis actuali: 2) nulla fuit ratio cur contra constantem Ecclesiae sensum, tot modis se explicarent, et potissimum celebratione festi, pergerent quidam urgere locutiones universales, quibus propagatio peccati originalis significatur.

Scholion II. Licet certum sit obiectum cultus esse instans primum animationis, quaei tamen potest an ipsa prima die seminalis conceptionis h. e. octava Decembris exsisterit anima b. Virginis, an postea. Quod exsisterit tunc censuisse videtur ipsa Dei Mater, cuius auctoritate in revelatione Helsinki facta (si vera est haec historia) dies ille pro celebranda sollempnitate praescriptus est. Idem censere videtur Ecclesia, quae eo die proponit celebrandam sanctam animationem Virginis. Ceterum antiquata est opinio illa peripatetica de successione animarum in fetu, quam admittere non est profecto necesse, etsi non statim ab initio fetus animetur. At philosophice satis probabile est statim fetum animari anima rationali, et haec sententia est nunc communior (cf. compendium Theologiae Moralium Gury cum notis P. Ballerini, Tom. 1. de V praecipito decalog: c. II, a. 3. §. 2.). Censuit quidem s. Anselmus absurdum esse quod mox

ab ipsa seminali conceptione animae rationalis infundatur: « quod autem mox ab ipsa conceptione (infans) rationalem animam habeat, nullus humanus suscipit sensus (de Conc. virg. c. 7) ». Cuius negationis hoc affertur argumentum. « Sequitur enim (ait) ut quoties susceptum semen humanum etiam ab ipso momento susceptionis perit antequam perveniat ad humanam figuram, toties damnatur in illo anima humana, quoniam non reconciliatur per Christum, quod est nimis absurdum ». Absurdum scilicet reputatur quod qui nondum est assecutus humanam figuram, damnatur; de quo etiam quaerere licet an sit resurrecturus humanum gestans corpus, quod nunquam habuit. Verum etsi desit actu ab initio humana figura seu conformatio corporis humani, adest tamen vere corpus cum potentia ad eam conformationem. Id vero sufficit ut conceptus homo dicatur, et quoniam in ipso conceptu contrahitur originale peccatum ab anima, id quoque sufficit ad propagationem peccati. Quod si fetus perit, illud ei continget quod ceteris perennibus in utero non regeneratis contingit. Quoniam vero ille infans corpus habuit exigens humanam figuram, quid mirum si in resurrectione obtineat actu humanam figuram, quae statui ipsi resurrectionis debetur?

FINIS

O. A. M. D. G.

## NOTAE QUAE DAM ADDENDAE

Ad Th. III.

In asserenda Platoni sententia de materia aeterna, praeterquam quod argumentis iis movebamur, quae attulimus in Instit. Philos. Cosm. in Nota ad Th. XXIX, secuti sumus auctoritatem Patrum non quidem prout magistri sunt in Ecclesia, sed prout viri sapientes fuerunt, et callentes veterum doctrinas, qui commississime id censuerunt, ut liquet ex testimoniis citatis in hac Thesi. Verum si eruditus et Germania viris credimus, qui historiam Philosophiae adornarunt, decepti sunt Patres, et nos cum illis. *Ἰδὲ* enim, aiunt, quam Plato (in Timaeo) supponit formationi mundi, non est res aliqua existens, sed est *Non ens το μὲν-ὄν*. Licet autem Plato in Timaeo illam representet veluti subiectum quoddam in quo absque ullo ordine et cum maxima confusione volebantur formae rerum, haec tamen representatio materiae mythica est, cuiusmodi mythorum refertur est Timaeus Platonis, atque est a veteribus usurpata representatio *τοῦ χάρα*, quam Plato per transeam adhibet ut ei aliquid aliud substituatur. Nam vult certe Plato materiam fuisse per se nudatam quavis forma, et cum praeterea certa sit Platonis sententia solis Ideis *verum esse* competere, qui fieri potuit ut Plato voluerit materiam alteram esse aequae aeternitatis et permanentem in se substantiam secundum essentiam suam sub vicissitudine suarum formarum? Nonne hoc pacto et ipsi quoque *verum esse* conveniret? Sane, pergunt, Plato clare sententiam suam significat cum docet quod id in quo omnia fiunt, et in quo omnia desinunt, est spatium *τὸ χάρα ὁ τόπος*. Quaevis Aristoteles (cf. Phys. I, 9. III, 4. IV, 2.) affirmat Platonem posuisse indefinitum *το ἀπειρον* tanquam principium, non quidem eo sensu ut indefinitum sit praedicatum alterius subiecti, sed ut ipsum indefinitum sit tale subiectum. Ideo idem Aristoteles discernit conceptum suum materiae a conceptu Platonis hoc pacto quod Plato velit materiae essentiam esse simpliciter et in se ipsa *non ens*, ipse e contrario velit *non ens* seu *privationem* per accidens haberi atque esse materiae proprietatem. Itaque iuxta Platonem fundus cuiuscumque materialis existentiae est *το ἀπειρον*, non veluti praedicatum quoddam, sed ut subiectum, ideoque ipsa infinitas *το non existens*, h. e. *non ens*, spatium h. e. partium extra positio et divisibilitas. Loco ergo alicuius aeternae materiae debemus ponere meram *formam materialitatis*, formam divisibilitatis et motus in spatio; quod si Timaeus mentionem facit alicuius irrequietae materiae ante formatio-